

Bibliothèque numérique

medic@

**Roze Delepinoy, Jean-Baptiste-Adrien
- candidat / Guilbert, Louis-Claude -
président. - An Ambitio noceat sanitati
?**

1783.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°90***

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis sextâ mensis

Martii, anno Domini M. DCC. LXXXIII.

M^o. LUDOVICO-CLAUDIO GUILBERT,

Pharmaciae Professore, Doctore Medico, Præside.

An Ambitio noceat sanitati?

I.

A libero placidoque omnium corporis functionum exercitio sanitatem pendere, quid certiùs? quid evidentiùs? At prohi dolor! quot infortuniis quantâque malorum congerie, obruitur humana conditio! vix intèr tot hominum millia, quidam incolumes brevissimum vitæ cursum percurrunt. Alii sanitatem quam ipsis amica dederat natura, violentis animi affectibus effundere amant; alii verò languentem ingrathamque emendantes naturam perfectâ animi æqualitate ac serenitate denegatam sanitatem acquirunt. Sed heu! quàm multiplices sunt fontes quibus erumpunt mala! quàm verò raræ è quibus extrahitur felicitas! Crederes hominem tot ærumnis pressum in hoc terrarum orbe esse positum ut semper eum sorte colluctetur. At ut infinita fileamus mala quibus obnoxii jacent miseri mortales, nobis fert animus violentissimum animi affectum expromere, ambitiosæque mentis deliria & effectus delineare.

I I.

INTER varios animi affectus, nullus sanè violentiùs hominem Ilexagitat, nullus sanitatem certiùs subvertit, quàm vesana ambitio. ex quobus principiis quæ à se invicem divelli ne-

2

queunt , homo conflatur. Alterum spirituale ; alterum verò corporeum. Ex æquo ac reciproquo intèr se consensu pendet sanitas. Sic voluit supremum numen. Felices nimium quibus à naturâ concessum fuit tranquillos soles agere ! non illos sollicitat impatiens honorum ardor , non famæ aut laudum cupido insana , nec divitiarum fames infatiabilis. At parvo contenti alienamque non detrahentes famam nec fortunam invidentes , sani atque hilares faustissimam ducunt vitam. Sol serenus ipsis exurgit , serenusque cadit , & cùm nox tenebris silentes terras involvit , somnos invitat leves non ambitiosæ mentis tranquillitas. O Philosophæ vates tu solus placidæ vitæ delicias adumbrare vales ! O desperanda perfectio , frangendique penicilli ! *Beatus ille qui procul negotiis* , &c. &c. &c. Quam lugenda verò , quàm miserabilis ambitiosi vita ? Nunquam contentus , pèr extrema irruens , aut præsentis felicitate frui nescit , aut futuram spe devorat , infelix semper. Sibimet ipse mentiens , modò irrequieto cultu fortunam audax laceffit , modò honores superbus affectat , aut famam laudesve inhians captat. Stare nescit , nullusque ipsi est in rebus modus. ardet , æstuat , felicemque successum vix obtinet , novum efflagitat. Alieno successu intabescit. Parentes , amicos , Patriam , modò prospera rideat fortuna , si utile est crudelis perdet ; imò etiam avidâ futuri patrimonii spe accensus , paternos dies impius numerat , increpatque cœlum quòd tam longam annorum seriem , parentibus concesserit. Frustrâ devinciunt illum sacra societatum jura ; propositi non tenax , sacramenti immemor , honoris oblitus , jura calcabit perjurus. Quos utiles quondam futuros prævidet , cupidis demulcet blanditiis. Eosdem mutato rerum ordine inutiles factos salutantes ignorat , aut insolenti fastu dedignatur ; adhuc nimium felices , si fortis participes illos non accusat. Diem perdidi , dicebat Titus generis humani parens , hodiè neminem beatum feci. Ambitiosus verò , me miserum exclamat demens , diem perdidi , hodiè nullos ho-

nones , nullum titulum obtinui divitiisve nullas comparavi
imò etiam novam mentem non concepi. Sic totum vitæ cur-
riculum ambitiosus percurrit.

I I I.

SI tot affectus miserabiles ambitiosum premunt animum ,
Siquid de incommodis corporis indè oriundis dicendum ?
Continuo motu agitur & exhauritur principium vitale ;
fervet sanguis , æstuant humores , ardescitque totum corpus.
Alimenta quæ vorat impatiens , non digerit. Hinc flatuum
fævi dolores , molesti ructus , calor intolerabilis & tristes
curæ. Hinc macies , febris lenta , demùmque tabes ambitiosa.
Non fudor , nec dulcis perspiratio ambitiosum sublevant ;
acris urina , lymphæ spissa , bilis inflammata , denique omnes
depravati liquores ; solida exarescunt , rigida fiunt , & ad con-
vulsivos motus tendunt. Frustrà mensis lautissimis dapibus exo-
neratis accumbit ambitiosus ; ille ubique sequitur satietas ,
aut vexat sollicitudo. Si fortè læta intèr pocula tacitam men-
tem gaudia quædam pertentant , vel novus honos , vel re-
cens titulus , vel divitiæ illo ferè instanti comparatæ insoli-
tum extorquent risum. At brevè avolant risus natales locos
quæsituri. His succedunt edaces curæ , appetitum proster-
nentes , vires suffocantes miserumque perpetuò mortem intèr
& vitam agitarum deferentes. Aspicias ambitiosum ; oculi cavi
& dubii , frons contracta , rugisque aspera , facies torva vel
mendaci risu demulcens , macies ac livor in corpore toto ;
fugiunt dulces somni , fugitque exterrita voluptas.

I V.

QUANDO quidem sollicitudo indefessum ambitiosum
vultur tacitos non sinat iredies ; agendum insomnes agat
noctes , irrequitos ducat dies , invidia marcescat , in novâ
quotidiè ruat flagitia. Demens ! non tangitur aurèâ animi

tranquillitate, sola vitæ fugientis felicitas, unicumque vivendi solamen. Reverà ridet ipsi fortuna; fulgent mendaci fuco honores, tituli. Sed eheu *tollitur in altum ut lapsu graviore ruat*. Jam jam graves morbi, ambizioso graviores incumbunt; fanitasque si firma ac valida sit, brevi exhausta evanescit; si debilis & imbecilla, aut debiliior sit aut etiam extinguitur. Cùm tanta ambitosum urgeant mala, nemo fanè tam parum suū amans, ut mentem suam ab ambitione non præcaveat, nemo tam infans ut beatum se existimet, quamvis prospera faveat fortuna, si sanitatem amiserit. Bonâ enim sine valetudine non ridet ver amœnum, non mollia prata frigetque venus & vita vitæ sepulcrum est.

V.

NON me latet quosdam homines ità fuisse à naturâ comparatos, ut impunè ambitioni toti se devoverint. Quid indè? An tentandum est fatum ferè ineluctabile? Alexander adhuc infans, orbis terrarum stragem jam corde agitabat, lacrimasque effundebat si quis victorias Philippi patris sui recitasset; querebatur amens, Regem Macedoniæ totiès victorem, nil ipsi de bellandvm si pergeret esse relicturum. Attamen ardentissimâ ambitione flagrans longam fortassè protulisset vitam, ni flagitiis om̃ibus sese inquinasset. Sed quàm rarò reperias homines ambitione vexatos morborum prorsus immunes!

Si pauci admodum integri ac incolumes ambitosi vivunt, inconcussum non minùs remanet, ambitionem pessimum esse vitæ venenum. Nihil ergò impedit concludere.

Ergò Ambitio sanitati nocet.

Proponebat Parisiis, JOANNES-BAPTISTA-ADRIANUS ROZE DELEPINOT,
Senonensis, Doctor Medicus Rhemenfis, Saluberr. Facultatis
Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Thæseos Autor.
A. R. S. H. 1783. AB OCTAVA AD MERIDIEM

Typis QUILLAV, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1782

